Tratados — 8.

Hecho el Indice del vario

Este Libro esta auso de Fr.
Josef de N.a S.a de los Dolo-
res, y Custodio, y perteneze
a la Libre.a de Conv.to de N.
P. S.r Augn. de Sev.a =
Custodio

1. Certamen Poet. Marianum ... Romano 1775.

2. [illegible]

3. [illegible]

4. Oración en acción de gracias por el nacimiento del Príncipe [illegible]
   [illegible] Cadiz [illegible]

5. [illegible] y [illegible] el terremoto de 1755.

6. Discurso [illegible] la costumbre de no tener en las Yglesias agua ben-
   dita los Jueves y Viernes Sto.

7. La [illegible] Sevilla 1757

8. [illegible] de 1781. [illegible] 1º a 11



Lingua mea calamus scribae velociter scribentis.
Psalm. 44. ℣. 2.

Admonitio.

QUIS umquam haesitare potuit quod sicut oculi aliis corporis sensibus praestant: ita illustrium virorum Epistolae ceteris eorum scriptis antecellunt? In Epistolis sane tamquam in gemino oculorum speculo emicant personae dotes, affectus, virtutes et vitia; sic ut nemo magis ad vivum ea exprimere possit, nemo alibi melius quam in Epistolis intueri. Id sibi de cuiusquam alius, certe de Augustini literis constat, in quibus SS. Doctoris genius, eloquentia citra fucum, prudentia, zelus, animi constantia, veritatis ac pietatis studium, humanitas, modestia, aliaeque virtutes resplendent. Jam quidem in lib. Confes. se ipse luculenter expreserat Augustinus: at non ita (si dicere licet) genuinè sicut in Epistolis. Fit enim ut quae de se ipsis scribunt Sancti, aut immodice extollant, si mala sint; aut plus aequo deprimant, si bona. Si vero quis alius de ipsis scribit, non satis eorum intima penetrare possit; aut etiam si possit aptisimè explicare non valeat. At in variis Epistolis auctores sponte se ipsi produnt pingunt que nativis coloribus, quos natura, locus, occasio, personae, argumenti materia, etiam à non cogitantibus exprimunt: adeo ut diligens quivis rerum aestimator in epistolaribus scriptis auctoris faciem & animum è propinquo intueri possit. Sed illud insuper Augustini Epistolis dignitatem addit, quòd cum SS. Pontifex gravisimis Ecclesiae negotiis fuerit occupatus, Epistolarum eius collectio non tantum ipsius privatam, sed & totam fere Ecclesiasticam illius temporis historiam complectatur. Vnde si quis Donatistarum & Pelagianorum, quae duae haereses Ecclesiam per id tempus maximè infestarunt, res gestas studiose indagare ac plane intelligere cupit, Augustini Epistolas legat, ac sedulo revolvat, & votis tandem suis optatum finem imponet. His certe moti fuimus ut sequentes Epistolas modo quo imbecilitas intellectus nostri capere possit honore debito defendere prosequamur.

DI-

DIVISIO I.

Die xm. Octobris.

EPISTOLA 41. aliàs 77. Alipij & Augustini scripta sub init. Episcop. Aug. In hac vero epistola ambo gratulantur de Sermonibus quos Presbyteri Carthaginenses, praesente Aurelio, ad Populum habere caeperunt. Hinc iam quaerendum de consuetudine per Africanas Ecclesias ubique recepta, in quam ofendisse vituperabatur Valerius, qui Augustino presbytero potestatem fecisset praedicandi Evangelii, praesente ipso Episcopo. Ex hac enim potestate Augustino concessa, tum ex fama Sacrarum concionum quas ad Populum Hipponensem habebat S. P. consultius visum esse Episcopis aliis Valerij exemplum aemulari, ut inquit Posidius cap. 5. proterea que non dedignamur aserere *S. Parentem presbyterum primum esse qui praesente Episcopo verbum Dei apud Populum tractavit.*

Epistolam 42. quae in posterioribus Editionibus operum Aug. desiderabatur, & nunc prodit ex corticeo codice qui olim Ecclesiae Narbonensis fuit, nunc vero Illustris Familiae Phimarconensis, Augustinus scripsit exeunte aestate ann. 397. ad Paulinum & Therasiam, flagitat que Paulino S. Parens ut litterarum debitum amplius anno integro non redditum exolvat; mittat que sibi opus quos adversus Paganos scripsit Paulinus; cum id perfecerit. Hoc itaque opus cum inter opera Paulini non inveniatur, non possumus enucleare; & si certi simus, ut liquet ex Epist. Aug. 31. n. 8. Paulinum contra Paganos scripsisse.

Epistolae 43. aliàs 162. scrip. circ. fin. ann. 397. aut init. 398. & etiam 44. scrip. circ. idem tempus. Glorioso, Eleusio, Felicibus, Grammatico, &c. In hac Epistola S. Parens indicat quanta impudentia Donatistas persistere in suo schimaste tot iudiciis convictos. Ex cap. 1. huius Epist. deducimus haereticum esse formalem qui in errorem lapsus, non quaerens cauta diligentia veritatem, illum animositate pertinaci defendit. Jam vero cen-

scri

seri non debetur haereticus, nec deputandus inter illos paratus corrigi, & veritatem amplecti. Communicatorias litteras scribere ad Haereticos formaliter tales nefas est: privatas quidem, qualibus nobis uti etiam ad Paganos licet. Vt que perversitas Donatistarum plus evincatur, Ex cap. 3. sequens proponimus assumptum. Donatistas in suis iudiciis immaniores caeciores que fuisse, putantes ea se posse dannare quae incognita nec donare potuissent; quoniam iudicare parte absente nec audita iniustum est; Sed amplius ex his Epist. colligitur. Ea que omnia in trutina sunt ponenda. Figite oculos. Concilium ab Episcopis Donatistis in domo Vrbani Donati habitum perversum nefariumque fuit; sicut & alterum septuaginta fermè Episcoporum Donatistarum, qui Caecilianum Carthaginensis Ecclesiae cum suis Collegis & ordinatoribus damnaverunt. Nihil contra ipsum Caecilianum illi probare potuerunt, iudicante Melchiade tunc Romanae Vrbis Episcopo cum Collegis suis, ad quos ut iudicarent litterae à M. Constantino missae fuerunt. Enim vero cum in hoc iudicio Romae habito innocens Caecilianus pronunciaretur: Donatistae adhuc in sua perversitate contra Caecilianum insistentes, Melchiadem Episcopos que Romae congregatos quòd malè iudicarent apud M. Constantinum accusarunt. Quapropter Imperator in Concilio Arelatensi rem diligentius examinandam terminandam que invigilat. Hìc pariformitèr innocens pronuntiatus Caecilianus: huic Arelatensi iudicio Christianus Imperator adhesit, & Donatistas calumniosos pronunciat. Ex talibus gestis asserimus *M. Constantinum potius esse laudandum, quam culpandum; & Episcoporum esse de Ecclesiasticis causis iudicare.*

DIVISIO II.

Die 21 Octobris.

EPISTOLA 45. scripta circ. ineunt. an. 398. quae nunc prodit ex Phimarconensi MS. suprà laudato, Alipij & Augustini ad Paulinum & Therasiam. Huius argumentum idem est ac enarratum in Epist. 42.

Epistola

Epistola 46. aliàs 153. scrip. fortè an. 398. Publicolae ad Aug. cui decem & octo questiones resolvendas proponit. Publicola quidem scrupulis angebatur: exoptans que animum eius acquiescere, per capitula singulas quaestiones designari fecit; Aug. que deprecatur ad ipsas non dedignetur respondere. Has itaque litteras S. Pater cum accepisset, cupiens Publicolae aestus auferre, aliquot ex propositis quaestionibus dissolvit.

In Epistola 47. aliàs 154. scrip. cir. id. tempus. Quas quidem quaestionum à Publicola propositarum resolutiones defendemus: & conformiter ad ea quae S. Parens rescribit num. 5. *Iniustum invasorem occidere quod non licet*, propugnabimus.

DIVISIO III.

Die 4 Novembris.

EPISTOLAM 48. aliàs 71. scrip. forte an. 398. dedit Aug. Eudoxio Abbati Monachorum Insulae Caprariae. Totum huius Epist. argumentum nititur in eo quod S. P. Abbatem Fratres que eius exhortatur, ut otio ad pietatem non ad ignaviam utantur, & quambis orationibus precibus que Deo sint dediti, ne laborem detrectent, quando illorum operam Ecclesia requirat: parati pro ipsa & in ipsa ad laborare.

Epistola 49. aliàs 161. scrip. circ. idem tempus. Honorato Partis Donati Episcopo. In hac intendit S. P. ut per litteras ipse Donatus placide reddat rationem, quo modo nomen Ecclesiae quae utique in toto orbe futura praedicta est in Evangeliis, ad ipsos solos resciderit. Ex hac igitur Epist. deducimus quod universalitas est vera nota Ecclesiae.

Epistola 50. aliàs 268. scrip. fortè an. 399. Auctoribus ac Principibus vel Senioribus Suffectanae Coloniae. Hinc S. Parens arguit famosissimum Scelus & inopinatam crudelitatem huius oppidi Incolarum, qui ob confractum Herculis simulacrum Christianos sexaginta trucidarant.

Hos

Hos enim ut Martyres Christi ad diem 30. Augusti Ecclesia colit & veneratur. Ex hac igitur Epist. deducimus & si à Posteris Cham supputandam esse idololatriam, iam pro hoc tempore prohibitam esse leg. Honorij Imperatoris Praedecessorum que eius, quorum primus fuit M. Constantinus ut videri potest in Cod. Theodos. Lib. 16. tit. 10. De Paganis, &c. Hispanos fuisse Theodosium II. & Cynegium, ambo que Consules, qui Aegipti regnum apud quod semper inter omnia regna maximè viguit Superstitio, destructis fractis que idolis, Deum verum colere, fecerunt. Postremò refutabimus stultissimum mendacium Paganorum, quo Christianam Religionem non ultra trecentos-sexaginta-quinque annos mansuram esse finxerunt. Vt que gratias Deo misericordiarum Hispani referant perenniter, sequens assertum proponimus defendendum.

DIVISIO IV.

Die 6 Novembris.

ET si enim haec sit verissima origo idololatriae quam à Chananaeis ad Aegiptios: hinc ad Phoenices, ab his ad Graecos, à Graecis vero ad Romanos fuisse derivatam constet omnium Historicorum consensu; certissimi sumus, postquam toto Orbe in pace composito Romanis que subiecto, nullum fuisse, regnum quod tam pluribus Diis ritibus que gentilitiis inficiaretur quam Hispaniae Regnum. Id ipsum asserent qui numismata Hispaniae antiqua non parvipendant. Ex his numismatibus argumenta maioris momentis eruimus ad evellenda in Catholicam Religionem Gentilium oppobria & ludibria: Patrum que Priscorum qui apologias pro christiana Religione scripserunt validissima argumenta. Nunc meliora tempora percunctemur. Magnus Dominus, & laudabilis valdè qui de tenebris gentium Hispaniam elegit, ut alia Regna iluminaret, omnia que Mundi regna Religione pura & incontaminata fide praecellat; sed praecipuè à tempore quo Catholici Reges Ferdinandus & Elisabeth S. Inquisitionis

Tribunal

Tribunal erexerunt: cuius exercitium ad an. 1476. constituimus. Hi enim Catholici Reges & Ecclesiasticam disciplinam ferme collapsam instaurarunt, & aditum ad ipsam infringendam Regia auctoritate praeclusérunt: corruptos denique mores omnis utriusque sexus inofenso pede composuerunt.

* ⁂ *

CERTAMEN ADERIT LITERARIUM diebus supràsignatis in Colleg. S. M. Acacij. anno 1774. Manè, & Vesperè.

HISPALI:
Ex Typog. Offic. D. Josephi de S. Romàn, & Codina, in vico de Catalanes.